



1653.

1. ^{part} Oberhard, Ulrich Schwind, Johannes Thomas: De notorio
2 Exempl.
2. Faber, Johannes: Jus ac privilegium de non appellando.
3. Frid., Johannes Ulrichus: De cum redimibili et irredimibili.
4. Gams, Johannes Jacobus: De coloribus juris in genere.
5. Kellinghausen, Christophorus: De cautione sententiae.
6. Rauscherus, Johannes Christophorus: De querela simulationis.
7. Schultz, Maurus: De instrumento quarentigato.
8. Stein, Gathopetrus Ludovicus: De sepulchro violato.
9. Stillerus, Timotheus: De jure majestatis in genere.
10. Taber, Joh. Otto: De reputatione feudi.
11. Taber, Joh. Otto: De deposito.
12. Taber, Joh. Otto: De in litem jurando.



1653.

13. Tabor, Joh. Otto: De reprehensibilium criminibus.
14. Tabor, Joh. Otto: De Fudacis
15. Vindiger, Johannes Wolfgangus: De abrogatione legum.
16. Waltherus, Johannes: De jure successioneis creditorum, in
1657) locum anteriorum.
1. Anthaeus, Philippus Ludovicus: De arrestatione
2. Hamelkenius, Paul: De jurisdictione
3. Mandius, Samuel: De subditis imperii a subditis delictis
in genere et in specie de peculiaribus eorum dem modo
Capitulatione
4. Marbachius, Johannes: De advocatia armata
5. Neubronner, Marcus Tobias: De novatis
6. Schatz, Johann Henricus: De expectatione
7. Trendel, Johannes Hieronymus: De bonorum reparacionibus



his


bus



[Faint, illegible handwriting on aged paper]







UNIVERSITÄT HALLE
40
NOTORIO,

EXAMINATORIA
MAGNIFICI NOBILISSI
SIMISSIMO ET REVERENDISSIMO
PATERE

FRANCISCO JOSEPHO JULIO
CANTABRIGIAE

1815
D. ERICUS SPÖR.
M. D. C.





DE
EXPECTATIVA

1654
167.

Disputatio Inauguralis,

1654, 6.

Quam

23

DEO clementer annuente

In Illustri Argentoratensi Academia

Autoritate atque Decreto Magnifici ac Nobilissi-

mi JCtorum Ordinis

Pro summis in Vtroque Jure Titulis, Honoribus,

Privilegiis & Immunitatibus consequendis.

proponit

JOHANNES HENRICVS Schak/

Argentoratenfis.

Mens. August. D. 31.



ARGENTORATI,
TYPIS FRIDERICI SPOOR.

M. DC. LIV.

101

EXPECTATIVA

Disputatio inauguralis

Quam

Deo clarissimo annuente

In Illustri Argentorati Academia

Aurorae etque Doctoris Magistri et Nobilissimi

in Jure Ordinarii

Pro summis in Vtrote Jure Titulis, Honoribus

Privilegiis & Immunitatibus concedendis

proponit

JOHANNES HENRICVS STOR

Argentoratis

Mense Augusti D. M.



MA GENTORATI

TYPIS FRIDERICI STOR

M. DC. LIV.





162

LIBERAE ET AVGVSTAE
SACRI ROMANI IMPERII
REIPVBLICAE ARGENTORATENSIS

Generoso, Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo
& Eminentissimo

SENATVS ORDINI
VNIVERSO,

Dominis & Patronis meis
Beneficentissimis,

Hasce

Inaugurales Meditationes

Devotè,
Observanter,
Humillimè

Confecro & Inscribo

JOHANNES HENRICVS Schak /
Argentoratensis.



105

SENA TVS ORDINI
VNI VRSO

DOMINVS & PATRONVS MEVS
HONORABILISSIMO

SENA TVS ORDINI
VNI VRSO

DOMINVS & PATRONVS MEVS
HONORABILISSIMO

FRAGMENTA MEDICATIONES

DEORE
OCTAVIUS
HAMILIUS

CONCORDIA & INTERDIO

JOHANNES HENRIKVS GEFUR
ARGENTORATIENSIS





DEO TRIVNO MANVDVCTORE.

I.



Omines ad labores, sicut aves ad volatum natos esse, quotidianus vitæ cursus in omni consortio humano testatum facit. Vanus autem ac irritus omnis est labor, nisi ad certum aliquem instituaturs finem, quapropter bonarum artium studioso doctrina multum conducit, si eam ad usum actionemque civilem prudenter transferat; est namque non solum nobis paranda, sed fruenda sapientia, Cicero *lib. I. c. I. de finibus, & lib. I. offic. c. 6.* exemplo illius, qui ignem à vicino petit, & non illic hæret, sed ablato eo, domi focum suum accendit: ideò, ut in iuris prudentiæ studio exacti mei labotes tandem suum cum fructu sortirentur effectum, prudens me examinibus doctoralibus subieci, & ea ante biennium & quod excurrit ab Amplissimo & Magnifico huius Celeberrimæ Vniversitatis Ictorum Ordine legitimè sustinui, simulque tum temporis à prædicto Nobilissimo Collegio facultatem solenniter sine

A

Præsi-



Præside pro gradu disputandi quàm liberrimè impetra-
vi. Cum autem interea per octodecim menses nuperis
in Ratisponensibus Comitibus certo officio addictus,
tempus consumpserim, in præsens usque Disputatio
hæc mea Inauguralis vel me invito dilata est, sed nescio
qua destinatione (animus enim ad varia juris capita,
certatione quadam inclinabat) ante aliquot septima-
nas, ex jure beneficiario materiam de Expectativa Gra-
tia scilicet, selegerim.

II.

Etymologiæ verbi Expecto, (unde Expectativa, fle-
xu illius Seculi, quo ipsa vox primò introducta) quæ, ut
omnibus notissimum, à particula Ex & specto, quod
antiqui verbi Specio frequentativum, deducta, non diu
inhærebo. Nec quomodo sperare (cum quadam ta-
men differentia) manere, observare, inspectare, inspicere,
probare, à Deo postulare, interdum significet, hic ope-
rosè inquiram. De ipsa autem orthographia ambi-
gentes, Velius, Longus, & Scaurus, Veteres Gramma-
tici expedire poterunt.

III.

Grammatica vocis deductione jam indicata, & ut
subtilitati eorum satisfiat, qui sensum intentionemq;
non vana nominum vocabula amplecti desiderant, *can.
Humana, II. caus. 22. quest. 5. l. 2. §. 1. vers. sed ut, C. de Const.
pec. l. 7. §. 2. vers. idem Tubero, ff. de suppell. leg. placet, quia
Expectativa in materia feudali tanquam sede propria se
diffundit; Primùm de feudis in genere paucis differere;
Tùm de Expectativa recensere specialia, & an pa-
ctum hoc futuræ successionis valeat nec ne; Post de
Consuetudinum autoritate, an legis habeant vigorem,
videbimus.*

IV. Feu-



184.
 Feudum (quod & Feodum tempore Karoli III. Phœdum sub Henrico I V. sub Wilhelmo Imperatoribus Foedum scribebatur. *vid. Karoli III. Constitut. de Exped. Rom. vom Römerzug. §. Statuimus 2. & Marquard. Freher. comment. ad verb. feodo. suo.*) quidam à foedere vel fide, quæ Italis & Longobardis fede vocatur, derivant; alii, à Germano *Schde* / quod hostilitatem sive guerram significat, deducunt; hinc etiam hodiè *Schdbrieff* vocamus literas, quibus capitales inimicitia alicui denunciantur, & bellum indicitur, sive hostis aliquis declaratur. Bodinus *de Republ. lib. I. c. 9. in pr.* alludit ad antiquam sacramenti formulam, quæ erat, *Fidelis Ero Domino Vero Meo.* Alii aliter, sed relinquimus hæc talia uniuscuiusque iudicio. Obiter quoque hic noto, Gallos vocare feudum suo idiomate *fief*, & plerasque constitutiones & consuetudines, sive Leges municipales auspiciari à titulo *Des Fiefs.* Angli verò indistinctè & propria bona à maioribus hereditate relicta, & feudalialia, *Fee*, appellant. *allegations de huius vocis Etymo qui cupit, adeat Gothofred. Anton. disp. feud. I. §. 2. lit. b.*

V.

Quoad Definitionem, describimus Feudum quod sit jus (a) in re (b) sub lege reciproca fidelitatis (c) constitutum.

(a) Quatuor autem modis feudum in consuetudinibus accipitur, I. pro re infeudata, *c. I. §. fin. si de investitur. feud. controvers. fuer. I. feud. 4. c. I. vers. si vero, ibi: feudum malo ordine intravit de milit. vasall. qui contum. est. 2. feud. 22.* II. aliquando pro ipso actu & contractu feudali, per quem vasallo ius in re consti-

tuitur. c. 1. ibi: per feudum investitum. de Usu Mediolan. 1. f. 28. c. 1. in pr. & §. 1. ibi: per feudum tamen cui libet dari potest. 2. f. 3. Dissidentes qui feudum contractum esse negant, refutatos vide apud Conrad. Rittershus. 1. F. 3. q. 5. add. text. express. in Extraord. tit. 81. ibi: nisi specialiter hoc actum sit inter contrahentes. tit. 87. ibi: in pr. in beneficiis ut in ceteris contractibus, & tit. 104. §. 1. ibi: & sensum contrahentium inuenientes. III. pro ipso jure in re feudali per contractum constituto. c. 1. quib. mod. feud. const. 1. f. 25. vid. Henric. à Rosenthal. c. 1. conclus. 6. n. II. IV. pro jure dominico ipsius Domini directi, c. 1. §. Ex eadem lege 1. de leg. Conradi. 2. f. 34. An autem dominus, & quando jus suum directum invito vasallo possit alienare? vid. Rosenthal. c. 9. conclus. 62. per tot.

(b) Ut plurimum immobili, c. 1. in fin. in quib. caus. feud. amitt. 2. f. 23. ut sunt res soli, puta fundus l. 1. §. 3. ff. de vi & vi arm. quæque solo coherent, veluti castrum, ædificium &c. d. l. 1. §. 4. vid. Gothofred. Anton. disp. 3. th. 4. cum notis. vel æquipollente tantum, ut sunt res incorporales quæ in jure consistunt, c. 1. §. fin. de feud. cognit. 2. f. 1. Rosenthal. c. 4. feudal. conclus. 1. Gothofred. Anton. d. disp. 3. th. 5. & ibi in notis. An autem res mobilis in feudum dari possit? Dd. communiter omnes negant, ita quidem, ut ne sub illa æstimatione ac cautione quasi ususfructus possit, Rosenthal. c. 4. feudal. conclus. 7. per allegat. ibi sub lit. a. nisi dicamus, mobiles venire, vel in consequentiam rerum immobilium, per l. si quando 2. C. de bon. vacant. lib. 10. tit. 10. & regulam juri can. & civil. notissimam in cap. Accessorium 43. X. de reg. Jur. & l. cum principalis, 178. ff. eod. & passim. E. G. si quis fundi feudalis per vim maiorem,

165
rem, in uasionem scil. possessionem amiserit, & post-
modum se possedisse iustè, ac spoliatum fuisse in ju-
dicio ritè probaverit, iudicis officium est, ut eum re-
stituatur cum annexis omnique caussa. *c. ult. in pr. X. de
restit. spoliat. l. Restituere 75. ff. de verb. sign. aut ex pe-
culiari locorum consuetudine in nonnullis Germa-
niæ provinciis receptâ, ut in pecuniâ numeratâ, præ-
fertim in Electoratu Brandenburgensi, Job. Köppen
decis. 18. n. 13. Frider. Pruckmann consil. 48. n. 130. 131. &
consil. 50. n. 516. in fin. Claud. Seyfel. in rubr. quæ res in
feud. dar. poss. referente Gothofr. Anton. disp. feud. 1.
th. 2. lit. d. & disp. 3. th. ult. in notis.*

(c) Dominus enim vicem, i. e. fidem reciprocam, fideli
suo reddere debet *c. 1. in fin. de form. fidel. 2. f. 6.* quæ
promittit fidem, tutelam seu clientelam feudalem:
at, non illa fides est reciproca, quæ consistit in jura-
mento fidelitatis, Dominus enim vasallo non jurat.
vid. Gothofred. Anton. 1. disp. feud. th. 2. lit. e. & f. &
sic fidelitatem, voce in primo significato sumpta, ad
formam & essentiam feudi pertinere, nemo est qui
ibit inficias. Sed, quid dicemus de servitiis, sunt ne
ca ad feudi essentiam necessaria? Resp. quod non,
quia pleraque hodie feuda dantur, ut nullum pro
ipsis servitium exigatur, *c. 1. in fin. pr. 2. feud. 104.*
Exemplo feudi Soldatæ quod est gratuitum *c. un. in
fin. quis dicatur dux 2. f. 10. & der Freyen Ritter-lehen
oder Höff in Francia Orientali, Gemmel. de feud.
part. 2. sect. 9. add. Rosenthal. c. 2. conclus. 59. & tantum
de natura feudi præstantur 2. f. 23. in fin.* etsi commu-
niter servitorum nulla fiat mentio ab eo qui feu-
dum concessit, quæ enim rei naturaliter insunt,
quamvis sint omissa, subintelliguntur tamen & pro

pressis habentur, l. 3. ff. de Reb. Cred. unde & debita
servitia appellantur, 2. feud. 55. in pr. confer Hermann.
Vultei. l. f. 6. in fin. Gothofr. Anton. disp. feud 7. th. 2.
lit. c.

VI.

Nobiliore divisiones sunt, ubi distinguimus feu-
dum in Ecclesiasticum & Seculare, quis autem hoc vel
illud constituat, quis itidem accipiat, Clericus an Lai-
cus, nihil interest. vid. Vultei. l. f. 8. n. 19. Ecclesiasticum
(d) est, cum quid de bonis ad Ecclesiam propriè perti-
nentibus à persona sacerdotali, cum consensu Capi-
tuli, in feudum datur, ita ut Ecclesiam pro suo domi-
no, cui reverentiam debet, recognoscat fidelis. c. 7. X. de
de Constit. c. unic. de Cler. qui investit. fac. 2. f. 35. c. 6. & 7.
X. de for. compet. c. 5. X. de judiciis. Vultei. d. l. n. 19.

(d) Incidenter hic in illud tritum & feudistis commu-
ne proverbium, **der Krumbstab schleuht niemand auß!**
inquiramus, ad cuius verum intellectum imprimis
facit, ut quædam de foeminis, cuius sc. conditionis in
jure & consuetudinibus habeantur, præmittamus,
notissimi namque juris est, eas ab omnibus civilibus
& publicis officiis remotas esse l. 2. ff. de reg. jur. l. fin. C.
de Arbitr. ita ut ne ad feuda regulariter admittantur
per text. express. in c. pr. ibi: *succedunt tantum filij*, §. 2.
pr. de success. feud. l. feud. 8. & hoc, propter honestatem
scilicet, servitia militaria, (licet armis assuetæ sint,
quia non attendimus ea quæ rarò fiunt, per l. ea que
rarò, 64. ff. de Reg. Iur.) consilii fragilitatem, vori in-
constantiam, secreti occultandi difficultatem. Bal-
dus in L. Quoties. n. 7. C. de suis & legit. hered. & inter-
pretes passim omnes. judicandi defectum inter Pares
Curia,

Curia, cuius officii functionem masculi tantum non foeminae sustinent. *c. un. de controvers. feud. apud par. term. 2. f. 16. c. un. an apud jud. vel cur. dom. quest. feud. deb. term. 2. f. 46. d. l. 2. ff. de R. I. & I. fin. C. de Arbitr.* At, ex speciali privilegio & consuetudine, foeminae in certis provinciis praesertim Abbatia Fulden- si, Corveiensis & Hirsfeldensis ab Ecclesiasticis feudis, vulgo *von Krumbstäbischen / vom krummen Stab /* (a curvo baculo, quo utuntur Episcopi & Praelati in signum potestatis coarctatae, quam designat baculi inflectio seu curvatio. Thom. Purpurat. *in l. Imperium. n. 91. de jurisdict.*) *herrührenden Lehen / & quae & Run- stel-lehen* vocantur, minimè sunt excludendae. *vid. Gothofred. Anton. disp. feud. 1. th. 4. lit. (d) vers. quo- rundam. Wehner. obs. pract. verb. Fuldisch Lehen / Krumbstab.* De intellectu supra dicti proverbii in Episcopatu Monasteriensi *im Stiffe Münster /* usitato, *vid. Ludolph. Schrader. cons. 12. 13. & 14. n. 343.* ubi ait, hoc proverbium intelligendum esse pro subiecta materia feudi, non secundum verba universalia uni- versaliter, ut fiat juris communis correctio: sed tan- tum de descendens ex masculis & foeminis, item- tam per masculos quam foeminas ex primo adqui- rente intelligatur, ut nullo modo extendatur ad transversales vel extraneos &c. Ratio, cur foemina- rum successiones in his Abbatibus ita sint frequentes, potissima dari potest ea, quod nimirum ipsi Clerici, manuali auxilio & armato non indigeant, sed tuean- lachrymis & jeuniis, quibus foeminarum sedulitate & aptitudine se strenuè coadiuvare posse putant. *Gothofred. Anton. disp. feud. 6. th. 4. lit. (d) in fin. pluræ de foeminarum successione in feuda, singularia, quare ex eod. d. disp. 6. usq. ad th. 9. exclusivè.*

VII. Se-

VII.

Seculare in re profana constitutum, Vel est Regale **ein Fahren-lehen** / quod à summo Imperatore, cum annexa dignitate Regali, 2. feud. 10. (cuius rei illustre exemplum in Imperio nobis exhibent Principes Ecclesiastici, qui, etsi eorum nonnulli plebeio genere sint prognati, **durch ihre Reichs-lehen**/ad apicem nobilitatis evehuntur, Modestin. Pistor. *cons.* 49. n. 3. vol. 2.) sub arctissimo fidei sacramento contra omnem hominem. *c. si quis. unic. de feud. Ligio 2. f. 99. daß sich der Lehmann will gebrauchen lassen/ wider männiglich/ niemand außgeschlossen/* Johann. Schneid. *de feud. p. 1. n. 42. confertur.* Vel non regale, quod scil. ab alio inferiore principe, sine dignitate regali conceditur. Rosenthal. *cap. 2. conclus. 1.*

IIIX.

Cæterum omne feudum est vel Novum vel Antiquum. *c. 1. pr. per quos fiat invest. 2. f. 3. c. 11. de success. frat. 2. f. 11. & Novum quidem, quod novè seu primò acquiritur, vel absolutè vel respectivè tale. Vetus verò, quod vernacula nostra appellamus **ein Alt-Bralt-Väterlich Stam oder Alt-lehen**/ per successionem, tum respectu domini, tum vasalli ulterius propagatur. *videatur omnino Gothofred. Anton. disp. feud. 1. thes. 5. in litt. b. c. d. e.* De intricata feudi distinctione in hereditarium & non hereditarium fortassis anfan dabit disquirendi ipse discursus, *interea remittimus Lectorem ad ea quæ Gothofred. Anton. 1. disp. feud. thes. 8. in notis eruditè collegit.**

IX.

Maximè autem Romano Imperio ad eius securitatem publicam, conducit, habere præstò generosos, stre-

107.

Arenuos & excitatos milites, quapropter vel moribus, vel à viris prudentibus, vel ab Imperatoribus, tanquam caussa efficiente remota, jus feudorum, ad hunc effectum, introductum est. Georg. Obrecht. *de jur. feud. lib. 2. c. 1. n. 4. & 5. & lib. 1. cap. 1. & 2.* Et quemadmodum Personæ in constituendo feudo principem locum obtinent; idcò in ipsis necessariò ponimus caussam efficientem propinquam, dicendo, omnes feuda constituendi facultatem rectè usurpare, qui legitimam ac liberam bonorum, ut domini, habent administrationem. Gothofred. Anton. *disp. feud. 2. th. 2. & 5. cum notis.*

X.

Subiectum recipiens, vel qui nam feuda acquirere possunt, sunt regulariter omnes, nisi qui expressè prohibeantur; prohibentur autem I. Hæreticus *arg. l. 4. 10. 12. & 18. C. de heret. c. fin. X. eod.* Petr. de Bella Pertic. *de feud. c. 4.* II. Excommunicati excommunicatione majore, Vultei. *c. 4. n. 12.* quos tamen per procuratorem paternum feudum recognoscere non prohiberi asserit ex Sylvan. & Afflict. Rosenthal. *c. 3. conclus. 23. n. 1. & in allegat. lit. a.* III. Proscripti quoq; & banno Imperii percussis, quod nimirum bonis eorum publicatis pro mortuis habeantur. Gail. *de Pac Publ. lib. 2. c. 12. n. 10.* Nec non IV. Læsæ Maiestatis, alius criminis capitalis rei, Rosenthal. *d. c. 3. conclus. 19.* Vultei. *d. loc.* Quibus V. addimus usurarios & reliquos infames, ut feudi dignitatum incapaces, *per l. 2. C. de dignitat. lib. 12. t. 1.* Vultei. *d. loc.* Rosenthal. *d. conclus. 23.*

XI.

Absolutis caussis efficienribus feudorum, succedit nunc Materia h. e. in quibus rebus (quarum mentionem in genere supra *th. 5. lit. b.* fecimus,) feuda consistere pos-

B

re pos-

sunt. Omnis itaque res in feudum dari potest, quæ
commercio, vel ex naturæ, legis vel hominis dispositio-
ne, non est exempta, nec alienari prohibita. *c. un. §. 1. in
pr. per quos fiat invest. 2. f. 3.* uti exemptæ sunt res sacræ
*in §. 7. Inst. de rer. divis. fundus dotalis §. 1. Inst. quib. alien.
lic. vel non l. 1. §. & cum lex 15. C. de rei ux. act.* Loca pu-
blica, veluti forum, basilica, *§. ult. Inst. de Empt. & vend.
add. Vultei. de feud. c. 5. n. 2. §. præterea & §. ex dispositio-
ne & Gothofred. Anton. disp. feud. 3. th. 1. lit. b.* sive sit
Allodialis, *c. 1. de allodis. 2. f. 54.* (de cuius vocabuli Ety-
mologia & quotupliciter in Consuetudinibus summa-
tur, *vid. Gothofred. Anton. disp. feud. 1. th. 1. lit. a.*) quæ
pleno iure nostra est *§. fin. Inst. de usufr. l. 21. C. mand. c. 1.
§. inter filiam 1. si de feud. de funct. content. 2. f. 26.* Feuda-
lis, *c. un. §. beneficium, 2. f. 26.* quæ pleno iure nostra non
est, sed ab alio recognoscitur, & allodio opponitur; quæ
concessio speciali nomine subinfeudatio, quam non-
nulli ex cadentias vocant, *ein Aßter-lehen / zum Aßter-
lehen ansehen /* indigitatur. Tria autem in qualibet
subinfeudatione copulatè requiruntur, I. ut fiat sincerè
& sine fraude. *c. un. pr. vers. si verò. qual. olim pot. feud.
alien. 2. f. 9.* II. Personæ ad Servitia præstanda idoneæ,
c. un. §. similiter 2. in pr. de Leg. Conrad. 2. f. 34. III. Iisdem
cum priori investitura pactis *d. §. similiter. in med. Bor-
chold. c. 8. n. 49. & 50. plura de subinfeudatione vid. apud
Gothofred. Anton. disp. feud. 9. th. 2. lit. a.* Publica Im-
perii, quæ alteri in feudum ab Imperatore justè conce-
di potest, dummodo infeudatio non vergat in gravem
Imperii læsionem. *Vultei. c. 5. n. 13.* Privata, & sive ea res sit
aliena *c. 1. §. 1. ibi: per feudum cuilibet dari potest res alie-
na. 2. f. 3. c. un. pr. de Invest. de re alien. fact. 2. f. 8.* sive tam
concedentis, de quo res est extra controversiam, quàm
accipien-

accipientis propria, si accipiens in jure suo non erret, tunc enim res accipientis propria ab alio recognosci & in feudum redigi potest. *Es kan einer dem andern sein Eigenthumb aufftragen vnd zu Lehen machen.* Gail. 2. *obs. 158. n. 1. add. Vultei. c. 5. n. 19.* Circa hanc verò rei suæ propriæ ut alienæ recognitionem quatuor necessariò observanda occurrunt, *de quibus Gothofr. Anton. disp. feud. 3. th. 3. lit. d.* sive Communis, adeò, ut etiam quis feudum, quod cum alio commune habet, subinfeudare, cum consensu tamen domini possit. *text. in c. 1. §. item sciendum, de notis feud. 2. f. 58. Rosenth. c. 4. conclus. 10. n. 3. lit. c. cui sententia quoq; adscribit Gothofr. Anton. d. loc. lit. d. in fin.*

XII.

Formam feudorum in Investitura, tanquam causa acquirendi, pono, quæ fit per traditionem vel veram, cum vasallus à domino in rei feudalis vacuum possessionem, ut naturaliter ei insistat, *l. 1. pr. ff. de acquir. poss.* inducitur, cuius tamen glebas singulas circumambulare vasallus necesse non habet, sed sufficit quamlibet partem ea mente introire, ut totum fundum ad terminum usque possidere velit. *l. 3. §. 1. eod.* vel fictam, repræsentatione sc. oculari *ut in l. 18. §. 2. d. t.* aut signorum interventu, qui modus ultimus ubique frequens est. Quomodo autem & quibus solennitatibus in Aula Cæsaris more moderno, Principum feuda Imperii, quorum collatio soli Imperatori vel Regi Romanorum competit. *CAROLVS IV. in Aur. Bull. c. 5.* tam nova, quàm antiqua per Investituram constituentur & renouentur, ex seqq. patefiet. Augustissimo scil. huic actui, Imperator plerumque in AnteCamera super sella ad minimum trium graduum elevata, & aulæis obdu-



sta, quotidiano habitu, accinctus gladio sedens, ex alto
Majestatem suā publico dat conspectui, à dexteris Here-
ditarius Imperii Mareschallus, Comes de Pappenheim,
aut absente eo, substitutus *der Hoff Marschall*, gladi-
um evaginatum in manibus portat, eodemque latere
secundum locum obtinet summus Aulæ Magister, à si-
nistris supremus Aulæ Camerarius Cæsari est proximus,
passu ab hoc uno, tenet juramenti formulam Imperii
ViceCancellarius, vel invicem eius aliquando Judicii
Aulici Præsides, in Circuitu præsentibus sunt utriusque sca-
mni judicii Aulici Assessores Comites, Barones, Do-
ctores, ceterique Domini Camerarii. Confessio ita in-
stituta, Aulæ Mareschallus obviam exit Legatis ad hoc
munus obeundum specialiter instructis, (quorum
Mandatum antea in judicio Aulico fuit recognitum) &
comitatur eos ad Imperatorem, ubi statim subiectissi-
ma reverentia demissis genibus, oratione brevi, qua
Principatus, Ducatus, Comitatus, Baronatus, Distri-
ctus, jurisdictiones, Regalia cum omnibus suis iuribus
& appertinentiis, vel terræ, in quas investiri desiderant,
exprimuntur, à Majestate Imperiali nomine Principalis
investituram decenter petunt: Oratione finita, Impera-
tor, Imperii ViceCancellario sacramenti formulam ex
scheda recitare mandat: quo momento à S. C. M. sum-
mus Aulæ Camerarius pileum & chirothecas petit; &
dein Imperator simul ac summus Aulæ Magister, & u-
nus ex Camerariis, qui posteriores duo in unum solum
genu coram Cæsare procumbunt, sumunt in manus
SS. Evangelia, quæ postmodum quilibet ex Legatis,
cum prioribus duobus digitis dexteræ manus tangit; &
sic clara voce, se fideles fore, sacramento obstringunt,
post Imperator tegit caput & Mareschallus ei tradit gla-
dium,

diu, cuius capulum Cæsar Legatis in signum tradi-
tionis osculandum porrigit; quo facto, Imperatori pro
impetrata Investitura, Legati solito procumbendi mo-
re, paucis gratias agunt, & in discessu pro arbitrio & cu-
iuslibet voluntate (contra modum antiquitatis in *Aur.*
Bull. c. 24. præscriptum,) erga officiales Aulæ sunt libe-
rales.

XIII.

Et quemadmodum nihil fit in rerum natura te-
merè, quod non habeat propositum sibi destinatum-
que finem & effectum propter quem cuncta facimus,
ideò finem & effectum feudi in eius conseruatione
constituimus. Conseruari autem solet mutua tam Do-
mini quàm vasalli obligatione, *per text in cap. un. §. ult. 2.*
f. 23. de qualitatissimè Gothofred. Anton. disp. feud. 7.

XIV.

Cùm verò omnia ea quæ generaliter in præceden-
tibus thesibus disposuimus, optimè & in feudo Expe-
ctantiæ, applicatione ritè facta, locum habere possint,
necessè est ut in præsentiarum progrediamur ad nostræ
thematis specialia.

XV.

Est igitur Expectativa, (quam in foro Saxonico eum
Geding/ein Gnaden-lehen in nostro verò *ein Expectanz*
oder Anwartsung eines noch vnerledigten Lehen-guts vo-
camus, *Wehner. pract. observ. verb. Anwartsung*) alia li-
cita *c. un. §. moribus. 2. si de feud. defunct. content. 2. f. 27.* alia
prohibita, *de qua infra th. antepenult.* illa, de feudo va-
salli viventis & quidem sine eius consensu *d. §. mori-*
bus in fin. add. Dn. D. Struyium in Exercitat. feud. 7. th. 4.
in casum aperturæ (e), tertio, à Domino vel promitti-
tur tantum, vel post promissionem, per investituram



confertur. *vid.* Georg. Obrecht. *de jur. feud. lib. 2. c. 4.* & Gothofr. Anton. 4. *disp. feud. th. 5.*

(e) Si sc. Vasallus familiae & agnationis ultimus absque herede masculino decesserit. *c. un. §. si quis investierit, in fin. de feud. dat. in vic. leg. commiss. l. f. 27.* Quid si post investituram factam filios demum generet? *vid.* Schrad. *de feud. p. 3. c. 2. n. 20. vers. si tamen, add. Gothofred. Anton. 4. disp. feud. th. 5. lit. e.* vel propter feloniam aut aliam causam isto feudo privatus fuerit, vel feudum refutaverit, Gothofr. Anton. *d. th. 5. lit. d.* potest namque quis sub generali clausula, si sc. feudum viventis quovis modo ad me devolutum fuerit, in Expectativam investiri, Schrader. *d. par. 3. cap. 2. n. 50.*

XVI.

Et hæc investitura, (quæ necessariò renovanda non est, cum is, cui spes saltem vel ex promissione vel abusiva investitura facta est, non possideat. *vid.* Gothofr. Anton. *in duplici casu, disp. feud. 8. th. 5. lit. h. vers. Ex his proclive est,*) de feudo vasalli viventis facta, usque adeo firma atq; valida est, ut neque is, neq; heres illius, qui hanc investituram fecit, eo casu, quo ex hac investitura heres obligatur, *c. un. in fin. qui success. feud. dar. ten. l. f. 3.* etiam antequam hæc conditio existat, pœnitendo, eo, cui hæc investitura facta est, non consentiente, hanc investituram infringere possit. Schrader. *d. l. n. 18. & ibi Dd.* Conditio-
ne verò existente, an Princeps gratiosè alicui feudum concedens, præcisè cogatur tradere feudum, vel solvere interesse? Resp. si facultatem rei tradendæ Dominus habeat, præcisè ad feudum tradendum eum teneri, nec præstando interesse liberari, *per text. express. c. un. §. si facta, si de feud. def. content. 2. f. 26. vid. Gothofred. Anton. disp. 4. th. ult. lit. b. add. Dn. D. Struv. syntag. jur. feud. Exercitat.*

citat. 7. th. 7. at, si sit impossibile feudum tradere, tunc demum vel feudum æquivalens, vel justa æstimatio præstanda est, neque liberatur dominus, etsi vel actiones, quas ipse contra possessores habere posset, cedere paratus esset. Schrader. consil. 43. post n. 37. vers. Et licet hæc & similia &c. Huc quoque non inconcinnè referri possunt ea, quæ de tradendi necessitate & de eo quod interest, adducunt Wesenbec. p. de Act. Empt. n. 4. & Amplissimus, Nobilissimus, ac Consultiss. Dn. D. Biccus, Præceptor ac Patronus Meus atatem venerandus, cui ex animo integræ valetudinem precor, rer. quotidian. sect. 4. th. 91. lit. W.

XVII.

Porro necesse est ut præsens investitura sub conditione & in diem fiat quæ conditio de solennitate atque forma huius investituræ censetur, si enim dominus feudi aliquem purè vel simpliciter de feudo viventis investierit, hæc investitura non valet ipso jure, *c. un. in med. de Cler. qui Invest. fec. 2. f. 35.* nisi Vassallus feudum possidens huic investituræ consenserit, Schrader. *d. loc. n. 19. add. Dn. Struv. d. Exercitat. th. 6.*

XIX.

Præterea licet is, qui de hoc feudo investitus est, antea decedat, quam is, qui hoc feudum possidet, moritur, nihilominus spes hæc, possessore defuncto, ad hæredes Expectantis transitoria est, *per l. veteris 13. C. de contrah. & committ. stipul. Gothofr. Anton. 4. disp. feud. th. 5. lit. d. in fin. Schrader. citat. loc. n. 21. Dn. Struv. d. Exercit. 7. th. 8. add. Consil. Argent. volum. 2. consil. 80. quest. 1. per tot.* quod procedit & in casu quo alius feudum sibi concedi procuravit & possessionem jamiam adeptus est, nam posteriorem hanc investituram seu feudi concessionem à domino feudi possessori factam, priori promissio.

missioni sive Investituræ, quæ facta est Expectanti & & consequenter suis hæredibus tacitè, minimè derogare aut obesse posse, *patet per tradita d. consil. 80. quest. 2. add. quogz ea quæ paulo ante de necessitate feudum tradendi diximus.* Vtrum autem præscriptio sive diutina possessio Expectativæ quicquam damni aut impedimenti adferre possit? *ad hoc Resp. d. Consil. 80. quest. 3. add. Gothofr. Anton. disp. feud. 5. th. 3. & 4. cum notis.* Attamen jure Saxonico, spes in hæredes non transit. *Schrader. d. part. 3. c. 2. n. 22.*

XIX.

Vicissim hæres illius qui investituram fecit, licet Dominus vita functus, antequam sibi illud feudum aperiat, post eo devoluto, investituram ratam habere cogitur, *Dd. ad c. un. qu. success. ten. 1. feud. 9. si successor sit Secularis, c. un. §. fin. qui success. feud. dar. ten. 1. f. 3. in Successore autem Domini Clerici vel Ecclesiastici, idem jus in omnibus, & per omnia statuitur, si ipse aliquem de feudo viventis, quod non ad Ecclesiam vel Prælaturam, cui ipse præest, sed ad propriam illius patrimonium spectat, alium investierit, c. un. de Cleric. qui Investit. fec. 2. f. 35. Huius tamen conclusionis novem limitationes sive restrictiones usu receptas vid. ap. Schrader. d. loc. à n. 23. usqz 33. exclusivè.*

XX.

Sin autem Dominus Ecclesiasticus alium de feudo vasalli viventis, quod ad Ecclesiam pertinet, investierit, & ipse ante possessorem feudi moriatur, successor eius ex hac investitura nullo modo obligatur. *c. un. pr. qui successor. feud. dar. ten. 1. f. 3. §. moribus 2. c. 1. si de feud. def. content. 2. f. 26.* ratio diversitatis reddi potest ea, quod Clericus succedat jure Electionis, unde & hoc ad
alios

alios quoque qui jure Electionis succedunt, pari ratio-
ne quidam extendunt, *vid. Rosenthal. cap. 6. conclus. 17.*
Secularis verò plerumque jure hæreditario, *vid. Dn. D.*
Struv. synt agm. jur. feud. Exercit. 7. thes. 9. in pr. & vers.
Hac de successore &c. At, si quis Capituli consensum ad-
hibuerit, per omnia tutus est. *Rosenthal. c. 6. conclus. 16.*
n. 7. Exceptiones & quadam singularia circa hanc the-
sn, vid. apud Schrader. d. loc. n. 34. cum seqq. & Dn. D.
Struvium d. Exercit. 7. th. 9. in not. vers. Atque hinc &c.

XXI.

Non solùm Domini feudi successor ex investitura
de feudo possidentis jam facta, de rato, modo adhibita
inter Clericum & Laicum distinctione, tenetur, sed &
Dd. præsumunt ipsum quoque ad investiendum obli-
gari, cum tantum alicui simpliciter Expectantiam pro-
miserit. *Andr. de Ifern. ad c. 1. qui success. ten. 1. f. 9. Matth.*
de Afflict. c. 1. n. 13. qui success. feud. dar. ten. 1. f. 3.

XXII.

Cæterum, si dominus investierit aliquem de feudo
vasalli sui viventis quem mortuum credebat, investitu-
ram hanc non valere, licet postea vasallus absque here-
dibus masculis decesserit, Dd. statuunt, *Andr. de Ifern.*
c. 1. §. moribus. n. 2. si de feud. def. content. adde Schrader.
p. 3. c. 2. in tract. de feud. n. 51. quod autem idem Schrader.
in Consil. 43. n. 110. ad huius quæstionis resolutionem abs-
que ullius textus auctoritate distinguat inter vasalli sci-
entiam & ignorantiam, cum tamen eo non consen-
tiente, ac invito Expectantia alteri rectè dari possit. 2. f.
25. §. 2. 2. f. 35. in med. mihi non satis liquet.

C

XXIII.



E Converso verò si Dominus investierit quem de feudo Vasalli sui iam mortui, sub illa conditione, si ille moriatur absque liberis, investitura indistinctè valet, sive dominus vasalli mortem sciverit sive ignoraverit, quia mors vasalli est actus non reiterabilis, & certum est quod in illis quæ reiterabilia non sunt, actus celebratus sub conditione de futuro, quæ tempore actus jam extitit, valeat & pro puro habeatur; sive actum celebrans sciat conditionem extitisse, sive hoc ignoret. *per l. Titius 25. §. Lucius 1. ff. de liber. & posth. Schrader. citat. loc. n. 52. & 53. His adde quinque notabiles quæstiones ex Gothofr. Anton. disp. feud. 4. th. 5. lit. b. post med. & alias ex Nic. Eyerh. jun. Consil. 1. elegantes, de Expectativis ab Imperat. concessis.*

Haftenus de Expectativa solius Domini concedentis intuitu: nunc subnectimus duas alias species.

I. est, quando nimirum Imperator tanquam supremus feudorum Regalium dominus, cum consensu Electorum, Principum & Statuum in generali Pacis publicæ compositione, ob communem imperii tranquillitatem & securitatem, satisfactionis loco, quibusdam Principibus in certos Ducatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Expectantiam simpliciter in perpetuum, vel secundum quid & determinatè alternativam promittit, *vid. Instrum. Pac. Cæs. Suevicum Artic. 10. §. 4. ibi: Deficiente linea masculina domus Electoralis Brandenburgicæ, ulterior Pomerania tota cum citeriori Pomerania*

rania totoque Episcopatu & integro Capitulo Camminensi, adeoque omnibus Antecessorum juribus & Expectantiis (inierunt enim pacta gentilitia Electores Brandenburgici & Duces Pomeraniæ Ann. Christi 1323.) consolidata, ad solos Reges Regnumque Sueciæ perpetuo pertinebunt, spe interim successionis & Investituræ simultaneâ gavisuros &c. *Artic. II. §. 4. ibi in pr.* similiter concedatur Domino Electori Brandenburgico Expectantia in Archiepiscopatum Magdeburgensem &c. & *Artic. 13. §. 1. ibi* : ut inter alia Ducibus Brunsvicensibus & Luneburgensibus etiam alternativa cum Catholicis in Episcopatum Osnabrugensem, addiceretur successio &c.

XXVI.

II. est, quando Illustres familiæ inter se Confraternitates *Erbverbrüderungen / Erbvertråg /* ut alterius stirpe extinctâ ad alterum patrimonium eorum & principatus certa successionis lege perveniat, ineunt, quæ Expectativarum pacta cum gravissimis de causis in Rom. Imperio frequentantur, necesse est, ut simul, conventioni insertâ clausulâ, *dem Heil. Reich vnd männiglich an seinem Recht vnnachtheilig* / accedat & Imperatoris vel Camerae Imperialis confirmatio. Dan. Otto *de jur. publ. c. II. n. 3. p. m. 401.* Wehner. *obs. pract. verb. Erbeinigung* Dn. Speidel. *in notabil. jurid. verb. Erbverbrüderung.*

XXVII.

Distinximus supra Expectativam in Licitam & Prohibitam, superest jam ut priorem hic ulterius explicemus, ne forsân quis nobis obiiciat, pactum hoc de beneficio vacaturo esse contra bonos mores, cùm talis

C 2 pro-



promissio feudi sub cōditione facta, cum primis eā, quæ
in casum mortis certi vasalli possessoris concipitur, in-
ducat captationem alienæ mortis, & taliter investitus
desideret mortem proximi, consequenter non validū
l. fin. C. de pact. c. Non est obligatorium §8. *de Reg. Iur. in 6.*
quam sententiam olim Placentini defenderunt, *c. un.*
§. si quis investierit, de feud. dat. in vic. leg. commiss. l. f. 27.
Verū, Mediolanensium & Cremonensium opinio sa-
nior prævaluit, dummodo vivente vasallo nullum de-
trimentum de feudo contingat. *d. §. si quis investierit;*
Quia concessio Expectativæ⁽¹⁾ non præbet occasionem
captandæ mortis per se, sed per accidens, quidenim
est in usu hominum bono ac licito, unde non possit
etiam perniciēs irrogari? ea propter nec in potestate le-
gislatoris est hocce periculum vel avertere vel præcide-
re. (2) fit ab eo qui dominium directum in re habet,
in casum securæ consolidationis, quod *Latius ele-*
ganter exponit Janus ab Arcedura conclus. feud. 5. cap. 1.
n. 6. & seqq. confer Hartm. Pistor. lib. 2. quest. 25. Schra-
der. part. 3. c. 2. n. 17. quo modo, non de futura suc-
cessionē, sed de caducitate successionis, in defectum
juris tertii pactum hoc collatum censetur. Et quic-
quid sit, (3) illa prohibitio juris civilis, est positivi ju-
ris, adeoque nihil obstat quo minus consuetudinibus
feudalibus ab ea recedi possit. *2. feud. l.* Moribus nam-
que receptum est, dominum posse de feudo sibi non-
dum aperto, in eum eventum quo caducum fiat, alteri
Expectativam concedere, (qualem etiam ante septen-
decim annos ab Imperatore Ferdinando III. Domus
Electoralis Saxōnica, in feuda Imperii Comitum de Ha-
navv, quàm benignissimè, Cæsareo diplomate Pragæ
17. Septembr. Anno 1638. confirmatam, obtinuit.)
puta,

173
puta, si vafallus ultimus fit familiæ & agnitionis suæ:
So einer der letzte seines Namens vnd Stammens ist /
fan oder mag dessen Lehen von dem Lehenherren außge-
betten / vnd einem andern die Anwartung vergönnet wer-
den. §. moribus 2. c. 1. si de feud. defunct. controvers. fit inter
dom. & vafall. 2. f. 26. Gail. 2. obs. 155. n. 2. add. Vultei. de
feud. lib. 1. c. 7. n. 48.

XXIIX.

Adeò autem Præbendarum Expectativæ Jure Ca-
nonico prohibitæ sunt per text. c. Nulla 2. c. Constitutus
ii. X. de concess. præbend. & eccles. non vacantis. c. Dete-
standa 2. eod. tit. in 6. ut si quis aliquam impetret scien-
ter, aut se patiatur in beneficium viventis institui, ab
ecclesiastica communione sit arcendus & deponen-
dus, id est, sacris ordinibus, quibus initiatus est spo-
liandus, c. 1. X. eod. sitque inhabilis, etiam eo mortuo,
ad beneficium consequendum absque dispensatione
summi Pontificis Panormitanus ibidem. si verò non
patiatur quidem se institui, sed tantum promissio-
nem beneficii non vacantis acceptet, jus nullum ad
beneficium acquirit. Concil. Trident. Sess. 24. c. 19. de
reformatione. etiamsi Ordinarii accedat consensus.
vid. Vallens. ad tit. 8. lib. 3. X. §. 1. n. 4. ubi nec mentales
Papæ reservationes admittit. neque refert an generali-
ter (de generali & incerta concessione super prima
præbenda vacatura in Ecclesia, dissentit Gail. 2. obs.
155. n. 6. in fin. quapropter super beneficiis primò va-
caturis & Cæsareas preces primarias valere dicit ibi-
dem n. 7.) an specialiter fiat beneficii non vacantis
promissio, appellatione eius, cui promissum est, non
obstante idem Vallens. d. 1. §. 1. n. 3. In Belgio etiam

€ 3

jam

jam olim per Maximilianum Imperatorem literis E-
dicti datis Mechliniæ 12. Septembr. 1485. Expectati-
vas fuisse prohibitas, refert *Franciscus Zypæus de jur. Pon-
tif. nov. lib. 3. ad d. t. in fin. quem vid. per tot.*

XXIX.

Tandem, nisi certis de causis nobis properan-
dum esset, dixissemus etiam aliquid de modo gratias
Expectativas exequendi, *de quo tamen remissivè Cla-
riß. Dn. Joh. Bechtold. V. I. L. in Syllog. mater. jur. lit.
G. voce Gratia. & de actionibus ob feudum in genere
competentibus, de personis judicii feudalis & de eius
processu, de quibus latè agit Gothofred. Anton. in tri-
bus posterioribus disputationibus feudalibus.* Verùm,
quia promissis standum, concludimus, etsi consue-
tudines legis appellatione propriè non veniant, quia
lex olim à populo, hodiè à Principe, translato in eum
imperio, feratur, consuetudines autem feudales à Ger-
hardo Nigro, & Oberto de Orto & ab aliis tanquam
privatis conscriptæ sint; legis tamen vim obtinent,
imò eam vincunt, quia judicio populi receptæ atque
antiquitùs probatæ, ac per multos annos, usu lon-
gævo & diuturno invaluerunt. *Hattysen. in analys. jur.
feud. c. 1. lit. a.*

XXX.

Et hæc sunt ea, quæ inter varias occupaciones &
tot temporum inopinatas interruptiones solennis Ex-
ercitii gratia conscribere licuit; Verùm, quemadmodũ
hodiè mores sunt, ut omnes sapiunt, omnes censent, ita
difficile est vitæ se accommodare, ne quid erres: id-
circo Benignus Lector, cui confido, quia omnibus
bonis



bonis in rebus conatus in laude, effectus in casu est,
 facile ingenii mei paupertatem excusabit, & potius,
 si quid fortassis minus accuratè à me dictum prola-
 tumque sit, Autores ipsos quos citavi, adibit. O san-
 cte D E V S, qui Spiritus tui boni instinctu singula-
 rem jam largitus es gratiam, conserva Expectantiam
 in regnum tuum coelorum, quam semel per filium
 tuum unigenitum Salvatorem nostrum mihi promi-
 sisti, & assiste ut piè, justè ac humiliter residuum vitæ
 meæ transigam, maneamquè semper fidelis Vero

Domino meo per omnia secula
 seculorum.



Domino Candidato Affini
 dilectissimo.

EXpectata venit, dudum licet expectata
 E spe Res Feudi. Qualis? adhuc taceo.
 Res hæc est alio celebranda in carmine: de spe
 gaudeo nunc, sed rem fata secunda dabunt.

aggratulatus

Joh. Conrad. Dannhaver, D.

F I N I S.




171

8

817

John Conrad Dreyer









(X225 7025)

VDA7







B.I.G.

Farbkarte #13

DE
EXPECTATIVA

1654
167.
1654, 6.
23

Disputatio Inauguralis,
Quam
DEO clementer annuente
In Illustri Argentoratensi Academia
Autoritate atque Decreto Magnifici ac Nobilissimi
Iuratum Ordinis
Pro summis in Vtroque Jure Titulis, Honoribus,
Privilegiis & Immunitatibus consequendis
proponit

JOHANNES HENRICVS *Schakl*
Argentoratis.
Mens. August. D. 31.



ARGENTORATI,
TYPIS FRIDERICI SPOOR.
M. DC. LIV.

